

Zeitschrift: Divus Thomas

Band: 2 (1924)

Artikel: S. Thomae a. I de Caritate et praemotio physica

Autor: Zigon, Franciscus

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762633>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 19.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

S. Thomae

a. 1 de Caritate et praemotio physica.

Scripsit Dr. Franciscus ZIGON, Goriciae.

« Quantopere S. Thomas inimicus sit omnis praemotionis vel praedeterminationis physicae, scribit P. J. Stufler S. J. (D. Thomae Aqu. doctrina de Deo operante. Oeniponti. 1923. p. 204 sqq.), et ad rationem actus voluntarii postulet, ut solummodo a principio interno permanente procedat, maxime elucet ex *a. I de Caritate*, ubi opinionem Magistri impugnat affirmantis, caritatem esse ipsum Spiritum sanctum. »

« Ut huius opinionis intellectus plenius habeatur, sciendum est, quod actum dilectionis, quo Deum et proximum diligimus, magister posuit quiddam creatum in nobis, sicut et actus ceterarum virtutum, sed ponebat differentiam inter actus caritatis et actus aliarum virtutum, quod Spiritus sanctus ad actus aliarum virtutum movet animam mediantibus quibusdam habitibus, qui virtutes dicuntur, sed ad actum dilectionis movet voluntatem immediate per seipsum absque aliquo habitu. » Ergo quaestio, de qua ibi agitur, haec est : *Potestne Spiritus sanctus immediate per se sine habitu caritatis infuso tamquam principio interno permanente voluntatem ad actum caritatis supernaturalem movere?* Et ad hanc Angelicus ita respondet :

« Sed haec opinio omnino stare non potest. Sicut enim naturales actiones et motus a quodam principio intrinseco procedunt, quod est natura, ita et actiones voluntariae oportet quod a principio intrinseco procedant. Nam sicut inclinatio naturalis in rebus naturalibus appetitus naturalis nominatur, ita in rationalibus inclinatio apprehensionem intellectus sequens actus voluntatis est. Possibile autem est, quod res naturalis ab aliquo exteriori agente ad aliquid moveatur non a principio intrinseco, puta cum lapis proicitur sursum. Sed quod talis motus vel actio non a principio intrinseco procedens naturalis sit, omnino est impossibile, quia in se contradictionem implicat. Unde, cum contradictoria esse simul, non subsit divinae potentiae, nec hoc a Deo fieri potest, ut motus lapidis sursum, qui non est a principio intrinseco, sit ei naturalis. Potest quidem lapidi dare virtutem, ex qua sicut ex principio extrinseco sursum naturaliter moveatur ; non

autem ut motus iste sit naturalis, nisi ei alia natura detur. Et similiter non potest hoc divinitus fieri, ut aliquis motus hominis vel interior vel exterior, qui sit a principio extrinseco, sit voluntarius; unde *omnes actus voluntatis reducuntur sicut in primam radicem in id, quod homo naturaliter vult, quod est finis ultimus.* Quae enim sunt ad finem, propter finem volumus. *Actus igitur, qui excedit totam facultatem humanae naturae, non potest esse homini voluntarius, nisi superaddatur naturae humanae aliiquid intrinsecum voluntatem perficiens, ut talis actus a principio intrinseco proveniat.* Si igitur actus caritatis in homine non ex aliquo habitu interiori procedat naturali potentiae superaddito, sed ex motione Spiritus sancti, sequetur alterum duorum: vel quod actus caritatis non sit voluntarius, quod est impossibile, quia hoc ipsum diligere est quoddam velle; aut quod non excedat facultatem naturae, et hoc est haereticum. Hoc igitur remoto sequetur primo quidem, quod actus caritatis sit actus voluntatis; secundo dato, quod actus voluntatis possit esse totaliter ab extrinseco, sicut actus manus vel pedis, sequetur etiam, si actus caritatis sit solum a principio exteriori movente, quod non sit meritorius. Omne enim, quod non agit secundum formam propriam, sed solum secundum quod est motum ab altero, est *agens instrumentaliter tantum*, sicut securis agit prout est mota ab artifice. Sic igitur, si anima non agit actum caritatis per aliquam formam propriam, sed solum secundum quod est mota ab exteriori agente, sc. Spiritu sancto, sequetur, quod ad hunc actum se habeat ut instrumentum tantum; non ergo in homine erit hunc actum agere vel non agere; et ita non poterit esse meritorius; haec enim sola meritoria sunt, quae in nobis aliquo modo sunt; et sic totaliter tollitur meritum humanum, cum dilectio sit radix merendi. »

« Mirum sane est, prosequitur P. Stufler, quod hic textus, qui perspicuitate sua omnibus aliis longe antecellit, a theologis in dirimenda controversia nostra nullam considerationem invenit. Ad quaestionem propositam, num Spiritus sanctus voluntatem per seipsum immediate sine habitu infuso ad actum caritatis movere possit, *Thomistae* juxta principia sua respondere debent, id absolute loquendo possibile esse At vero S. Thomas explicitis verbis asserit, id absolute impossibile esse, actumque talem aut non voluntarium aut non supernaturale aut saltem non liberum et meritorium esse

« Si Spiritus sanctus voluntatem sine habitu supernaturali ad actum caritatis moveret, aut eam moveret mediante principio interno mere naturali, i. e. mediante naturali inclinatione in bonum universale, et tunc actus caritatis non excederet facultatem naturae, quod sine haeresi affirmari nequit; aut eam moveret impulsu physico supernaturali vel per praemotionem supernaturalem, et tunc actus non esset voluntarius, quod repugnat. Insuper, etiamsi possibile esset, voluntatis actum totaliter esse a principio externo, tamen non esset meritorius et liber, quia

voluntas non ageret nisi pure instrumentaliter, sicut securis agit mota ab artifice. Instrumentum, quod non ex se agit, sed solum inquantum ab altero movetur, non habet in sua potestate agere et non agere, ideoque non agit libere. *Ergo si Spiritus sanctus ad actum caritatis moveret per praemotionem physicam, tolleretur libertas et meritum hujus actus.* »

Deinde ponit P. Stufler p. 357 thesim : « S. Thomas docet, impossibilem esse actum supernaturale, qui non ex habitu infuso procedat. » Demonstrare autem conatur istam thesim eodem Divi Thomae testimonio quasi invincibili Achille ita (p. 357 sqq.) : « Primum, et meo quidem judicio peremptorium argumentum depromitur ex a. i quaestio[n]is disputatae de Caritate Ibi Angelicus refutat opinionem Petri Lombardi asserentis caritatem non esse quidquam creatum, sed ipsum Spiritum sanctum ; quam opinionem ita intelligendam esse docet, « quod Spiritus sanctus ad actus aliarum virtutum movet animam mediantibus quibusdam habitibus, sed ad actum dilectionis movet voluntatem immediate per seipsum absque aliquo habitu ».

« Status quaestio[n]is, monet P. St., bene considerandus est ; disputatur enim de possibilitate actus caritatis supernaturalis et meritorii *sine habitu injuso*, i. e. sine aliqua forma activa permanente et voluntati per modum cujusdam inclinationis habitualis inhaerente....

« Ad quaestio[n]em propositam S. Thomas respondet : « Sed haec opinio omnino stare non potest. » Ergo absolute impossibile est, Spiritum sanctum voluntatem ad actum dilectionis supernaturalis movere sine habitu caritatis, quia ex hac positione aliquid absurdum vel fidei contrarium sequeretur

« Si igitur, repetit rursum P. St., Spiritus sanctus voluntatem ad actum dilectionis Dei *sine habitu moveret*, aut eam moveret mediante inclinatione naturali, et tunc actus ille naturalis et non meritorius esset ; aut eam moveret per impulsu[m] quendam supernaturalem transeuntem voluntati superadditum, et tunc actus non procederet ex principio interno et non esset voluntarius. » Nam hoc altero admisso Deus voluntatem eo modo moveret, quo quis lapidem per impulsu[m] mechanicum transeuntem movet. Sicut autem talis motus lapidi non est naturalis, ita etiam motus voluntatis causatus ex impulsu Spiritus sancti trans-eunte non est voluntarius, quia non ex principio interno causatur.

« Argumentum, quo D. Thomas impossibilitatem actus caritatis supernaturalis per simplicem motionem Spiritus sancti sine infusione habitus demonstrat, propter paritatem rationis ad omnes alios actus

entitative supernaturales applicari potest et debet, ut per se patet; quare si Deus absque injusione habitus supernaturalis voluntatem ad actum quemlibet supernaturalem moveret, is non e principio interno procederet neque voluntarius esset. Ideo omnes actus illi, quibus homines quovis habitu infuso carentes remote ad justificationem se praeparant, necessario, spectata sola entitate, naturales sunt. » — Hactenus P. Stufler.

Si quis superficialiter tantum textum hunc Aquinatis perlegerit, ejusmodi interpretatio forsitan ipsi aliquod fundamentum in verbis S. Thomae habere videbitur. Considerato autem penitus accuratiusque testimonio illo totam istam explicationem esse contra mentem Doctoris Angelici manifestum erit. Quod commentario sequenti breviter demonstrandum suscipimus. Hunc vero in finem imprimis status quaestiones diligenter nobis determinandus est, ut cognoscamus, quae sit revera opinio Magistri sententiarum, quam S. Thomas respuit, et quaenam sint rationes, quibus S. Doctor eam impugnat, necnon quae sit opposita doctrina, quam ipse tuetur.

Divus Thomas nobis jam in titulo articuli clare indicat quaestionem, de qua agitur. Nam ubique et I. d. 17 q. 1 a. 1 et II-II q. 23 a. 2 tamquam problema, de quo disputatur, proponit quaestionem: « utrum caritas sit aliquid creatum in anima », atque affirmative respondet recusans negatiyam opinionem, caritatem videlicet non esse aliquem habitum creatum in anima, sed esse ipsum Spiritum sanctum. « Nec est, inquit (II-II q. 23 a. 2), sua (Magistri) intentio, quod iste motus dilectionis, quo Deum diligimus, sit ipse Spiritus sanctus; sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu sancto non mediante aliquo habitu, sicut a Spiritu sancto sunt alii actus virtuosi mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta habitu fidei aut spei aut alicujus alterius virtutis. »

Bene debemus ponderare singula haec verba, ut genuinum sensum inde eruamus; alioquin facile utraque sententia mutuo confunditur, prout fit in praecedenti interpretatione.

Magister igitur posuit caritatem esse ipsum Spiritum sanctum, qui mentem inhabitat voluntatemque ad actum caritatis movet. Accipitur Spiritus sanctus in ista quaestiones solutione reduplicative qua tertia Persona divina, quatenus a Patre Filioque realiter distinguitur, ut motio esset operatio propria solius tertiae Personae, dum juxta Aquinatem Spiritui sancto attribuitur motio ad actus caritatis perinde atque ad actus aliarum virtutum etiam secundum Magistrum solummodo *per appropriationem*.

Quomodo explicaverint opinionem a. S. Thoma rejectam auctores, qui sequebantur sententiam Magistri, declarans nobis Aquinas ait (I d. 17 q. 1 a. 1) : « ad cuius explanationem quidam dicunt, quod Spiritus sanctus, prout in se consideratur, Spiritus sanctus et Deus dicitur ; sed prout consideratur ut existens in anima, quam movet ad actum caritatis, dicitur caritas. Dicunt enim, quod sicut Filius univit sibi naturam humanam solus, quamvis sit ibi operatio totius Trinitatis, ita Spiritus sanctus *situs* unit sibi voluntatem, quamvis ibi sit operatio totius Trinitatis. *Sed hoc non potest stare*, quia unio humanae naturae in Christo terminata est ad unum esse Personae divinae ; et ideo idem actus numero est Personae divinae et naturae humanae assumptae. Sed voluntas alicujus sancti non assumitur in unitatem suppositi Spiritus sancti. Unde cum operatio a supposito unitatem habeat et diversitatem, *non potest esse*, quod intelligatur esse *una* operatio voluntatis et Spiritus sancti *nisi per modum*, quo *Deus* operatur in qualibet re » i. e. nisi praedicetur de Spiritu sancto specialiter per *appropriationem* voluntatis motio, quae reipsa communis est omnibus tribus Personis. En distinctio explicita S. Thomae, quomodo motio Spiritus sancti concipienda esset consequenter in conformitate cum opinione falsa Magistri et quomodo intelligenda sit secundum veritatem per appropriationem.

Nunc intelligimus etiam verba a. 1 *de Caritate* : « Si actus caritatis in homine non ex aliquo habitu interiori procedat naturali potentiae superaddito (sc. secundum doctrinam S. Thomae), sed ex motione Spiritus sancti (i. e. juxta opinionem Magistri), sequetur alterum duorum : vel quod actus caritatis non sit voluntarius, quod est impossibile, quia hoc ipsum diligere est quoddam velle ; aut quod non excedat facultatem naturae, et hoc est haereticum. »

Si enim Spiritus sanctus *situs* qua tertia divina Persona movet ad actum voluntatem, actus idem numero caritatis esse nequit operatio et voluntatis et Spiritus sancti, « cum operatio a supposito habeat unitatem et diversitatem ». Actus ergo caritatis erit aut actus Spiritus sancti tantum aut solius voluntatis ideoque in priori casu actus ille non erit voluntarius, quia non esset actus voluntatis, sed solius Spiritus sancti ; in altero autem casu non potest esse supernaturalis, quia esset solius nudae voluntatis (sumitur vero voluntas per synecdochen pro homine habente ipsam). Primum autem, h. e. quod actus caritatis non esset voluntarius, est impossibile, nam ipsum diligere est necessario quoddam velle, unde non potest non esse voluntarium ;

secundum vero, i. e. actum caritatis non excedere facultatem naturae, est haereticum.

« Hoc igitur remoto, pergit Doctor Angelicus, excluso nempe utroque praedicto consequenti, sequetur primo quidem, quod actus caritatis sit actus voluntatis; secundo dato (et non concessso), quod actus voluntatis possit esse *totaliter* ab extrinseco sicut actus manus vel pedis, sequetur etiam, si actus caritatis sit *solum* a principio exteriori movente (i. e. a Spiritu sancto non per appropriationem, sed reduplicative sumpto qua tertia Persona, sequetur, inquam), quod non sit meritorius. Omne enim, quod non agit secundum formam propriam, sed solum secundum quod est motum ab altero, est agens instrumentaliter tantum, sicut securis est mota ab artifice. »

Una eademque operatio non potest procedere immediate immediatione suppositi ab utraque causa, sc. et ab homine et a tertia Persona divina. Dato tamen et non concessso, quod actus voluntatis posset esse totaliter ab extrinseca causa, Spiritus sanctus posset adhuc movere voluntatem per modum tantum, quo artifex movet instrumentum, v. g. securim. Quo in casu caritatis actus non esset, ut patet, liber et proinde pro homine non meritorius. « Et sic totaliter tollitur meritum, cum dilectio sit radix merendi. »

S. Thomas ergo demonstratione ad impossibile ex consectariis absurdis probat falsitatem opinionis impugnatae, caritatem nempe in anima non esse quidquam creatum, et exinde veritatem sententiae contradictoriae, quam ipse adstruit, caritatem esse habitum creatum. Omnino similis argumentatio reperitur in II-II q. 23 a. 2.

Quaestio itaque, de qua agitur, non est, sicut opinatur P. Stufler, utrum possit *Deus* voluntatem movere ad actum liberum supernaturalem absque habitu infuso necne. De praemotione divina Angelicus loco laudato ne mentionem quidem facit. Unde non est mirum, « quod hic textus, qui, prouti auctor autumat, perspicuitate sua omnibus aliis longe antecellit, a theologis in dirimenda controversia nostra (videlicet de praemotione physica) nullam considerationem invenit ».

Quamvis autem verum sit, quod P. Stufler p. 358 dicit, non agi de quaestione inter Thomistas et Molinistas vigente, utrum actus caritatis a voluntate elici possit cum solo concursu simultaneo Spiritus sancti, an vero ad hoc necessaria sit aliqua praemotio physica a Deo prius voluntati impressa, cum talis controversia tunc temporis nondum existeret, nihilominus ex modo argumentandi sequitur S. Thomam

praedamnasse in sententia Magistri doctrinam quoque Molinistarum (doctrinam ceteroquin etiam a P. Stufler reprobata) de concursu mere simultaneo eo, quod asserit impossibile esse duas causas completas immediate immediatione suppositi producere unum numero actum. « Nec habet instantiam de pluribus trahentibus navem, quia nullus eorum est perfectus motor, cum virtus uniuscujusque sit insufficiens ad movendum » (I q. 52 a. 3). « Multi enim trahentes navim unam actionem faciunt ex parte operati, quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multae actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum » (C. G. II c. 57).

Vehementer autem errat P. Stufler interpretando verba S. Thomae innixus suae fixae rationi non posse dari liberum actum supernaturale in homine nisi ex habitu infuso ita, ut omnis motus voluntatis per praemotionem transeuntem physicam necessario esset violentus. Angelicus ex praemissa a P. St. quoque concessa non posse unum eundemque numero actum caritatis ab homine et a tertia divina Persona immediatione suppositi produci qua causis completis infert actum caritatis in homine non ex aliquo habitu infuso procedentem in hypothesi Magistri attribuendum esse aut soli Spiritui sancto aut homini tantum : « Si actus caritatis in homine non ex aliquo habitu interiori procedat naturali potentiae superaddito, sed ex motione Spiritus sancti, sequetur alterum duorum : vel quod actus caritatis non sit voluntarius (in priori nempe casu), quod est impossibile, quia hoc ipsum diligere est quoddam velle ; aut quod non excedat facultatem naturae (sc. in altero casu), et hoc est haereticum. » P. Stufler autem concludit p. 359 : « Si igitur Spiritus sanctus voluntatem ad actum dilectionis Dei sine habitu moveret, aut eam moveret mediante inclinatione naturali, et tunc actus ille naturalis et non meritorius esset ; aut eam moveret per impulsu quendam supernaturalem transeuntem voluntati superadditum, et tunc actus non procederet ex principio interno et non esset voluntarius. Nam hoc altero admisso Deus voluntatem eo modo moveret, quo quis lapidem per impulsu mechanicum transeuntem movet. Sicut autem talis motus lapidi non est naturalis, ita etiam motus voluntatis causatus ex impulsu Spiritus sancti transeunte non est voluntarius, quia non ex principio interno causatur. »

Secundum S. Thomam sufficit ad hoc, ut actus dilectionis sit voluntarius, quod sit actus voluntatis, ideoque statuit impossibile esse, quod actus quicunque caritatis non sit voluntarius, quia hoc ipsum

diligere est quoddam velle. Juxta autem P. Stufler potest dari actus voluntatis, qui non sit voluntarius, si sc. *Deus* voluntatem moveret per impulsum transeuntem, non vero cum principio permanente et, quando sermo est de actu supernaturali, si moveret sine habitu infuso.

Motus lapidis potest esse violentus, nullo modo vero motus voluntatis. Cum ergo auctor saepe ex motu lapidis violento a pari, ut ait p. 202, ad motum voluntatis concludit, neganda est paritas, quia actus interior voluntatis (i. e. ipsa volitio) necessario est voluntarius proceditque necessario a principio interno h. e. a voluntate, cum voluntas tantummodo quoad actum exteriorem a voluntate imperatum violentiam pati possit (I-II q. 6 a. 4). Terminologia illa, juxta quam sub principio interno actus caritatis intelligitur nonnisi voluntas habens caritatis habitum, nullatenus adscribi potest S. Thomae, uti auctor facit p. 360.

Opinio non posse esse *liberum* actum supernaturale, qui non procedat ex *habitu* infuso, sed solum per physicum influxum transeuntem gratiae eliciatur, adeo evidenter adversatur menti Doctoris Angelici, ut, si testimonium inveneris aliquod, in quo ejusmodi doctrina *revera* traditur, statim possis exinde omnimoda cum certitudine, sine formidine errandi concludere aut opus illud esse spurium aut saltem textum istum esse corruptum.

Sed fortasse aliquis objiciat: nonne S. Thomas (I d. 17 q. 1 a. 1), postquam dixit: «cum operatio a supposito unitatem habeat et diversitatem, non potest esse, quod intelligatur esse una operatio voluntatis et Spiritus sancti nisi per modum, quo *Deus* operatur in qualibet re» (i. e. sua praemotione physica, quae tamquam actio ad extra debet efficienter esse a tota Trinitate), protinus subjungit: «sed iste modus non sufficit ad operationis perfectionem»? — Respondeo: hoc, i. e. ad *perfectionem* actus humani exigi habitum, Aquinas semper docet, attamen nunquam postulat necessitatem habitus ad *possibilitatem* actus *liberi* vel supernaturalis in genere.

Jam Capreolus (in I d. 17 q. 1 ad argumenta Aureoli contra 1. concl.) reponit: «Non est intentio S. Doctoris, quod voluntas caritate informata possit in substantiam alicujus actus, in quam non possit sine habitu caritatis Sed intendit, quod ad hoc (habitum caritatis exigitur), quod voluntas eliciat actum dilectionis *perfectum* quantum ad omnia requisita ad bonitatem actus *meritorii*.» Quod dein probat provocando inter alia ad II d. 41 q. 1 a. 2: «Sicut in rebus naturalibus una perfectio alteri superadditur, sic ut quaedam res habeant unam illarum et quaedam duas et sic deinceps, ita etiam

in moralibus contingit in actu considerare aliquam perfectionem alii superadditam, ex quarum unaquaque dicitur actus bonus. Et si aliqua illarum perfectionum desit, deerit bonitas, quae est secundum perfectionem illam. Verbi gratia, omnis actus, inquantum est actus, habet quandam essentialē bonitatem, secundum quod omne ens bonum est. Sed in aliquibus actibus superadditur quaedam bonitas ex proportione actus ad debitum objectum et secundum hoc dicitur actus bonus ex genere; et ulterius ex debita commensuratione circumstantiarum dicetur bonus ex circumstantia, et sic deinceps quo usque perveniat ad ultimam bonitatem, cuius humanus actus est susceptivus, quae est ex ordine in finem ultimum per habitum gratiae et caritatis. Et ideo actus illorum, qui gratiam et caritatem non habent, hoc modo bonus esse non potest: et haec est bonitas, secundum quam actus meritorius dicitur. »

Idcirco S. Thomas (I d. 17 q. 1 a. 1) docet: « Cum actus caritatis *perfectionem* quandam habeat ex hoc, quod est *meritorius omnibus modis*, oportet ponere caritatem esse habitum creatum in anima, quae (caritas) quidem *efficienter* est a tota Trinitate, sed *exemplariter* manat ab amore, qui est Spiritus sanctus. » Similiter animadvertis (II-II q. 23 a. 2): « Manifestum est, quod actus caritatis excedit naturam potentiae voluntatis. Nisi ergo aliqua forma superadderetur naturali potentiae, per quam inclinaretur ad dilectionis actum, esset actus iste *imperfectior* (nota bene: non dicit *impossibilis*, sed *imperfectior*) actibus naturalibus et actibus aliarum virtutum; nec esset *facilis et delectabilis*; unde maxime necesse est, quod ad actum caritatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiae naturali inclinans ipsam ad caritatis actum et faciens eam *prompte et delectabiliter* operari. »

S. Thomas ergo postulat habitum caritatis, ut homo possit prompte et delectabiliter operari, ut actus caritatis sit perfectus ac *meritorius* vitae aeternae. P. Stufler autem inde concludit operationem *supernaturalem* et *liberam* sine habitu infuso *impossibilem* esse!

Ita etiam ex verbis S. Doctoris ad II. a. 1 *de Virt. in comm.*: « Ad utrasque operationes habitu indigemus: ad naturales quidem tribus rationibus superius (in corp.) positis (sc. ut sit uniformitas in operatione, ut operatio perfecta in promptu habeatur et ut delectabiliter perfecta operatio compleatur); ad meritorias autem *insuper*, ut naturalis potentia elevetur ad id, quod est supra naturam, ex habitu infuso» — infert P. St. p. 365: «Ergo operatio supernaturalis et libera sine habitu infuso impossibilis est. »

Et pariter ex I-II q. 68 ad 2 : « Ratio illa (quod non est conveniens, ut instrumentum perficiatur per habitum) procedit de instrumento, cuius non est agere, sed solum agi. Tale autem instrumentum non est homo, sed sic agitur a Spiritu sancto, quod etiam agit, inquantum est liberi arbitrii ; unde indiget habitu » — concludit continuo p. 366 P. St. : « Ergo si homo a Spiritu sancto ageretur per solam praemotionem physicam sine infusione habitus, ageret ut instrumentum tantum, quod libertate caret ; proinde actus liber entitative supernaturalis sine habitu infuso impossibilis est ». Simile cum precedenti esset ratiocinium hoc : Solus homo qua animal rationale indiget libris ad suam perfectionem. Ergo qui non utuntur libris, non sunt animalia rationalia ac proinde non sunt homines. Legitime possemus dumtaxat ita discurrere : Si homo ageret ut instrumentum tantum, quod libertate caret, ageretur a Deo per solam praemotionem physicam sine infusione habitus. Attamen nonnisi per fallaciam consequentis ex posito consequenti ponitur antecedens : Si homo ageretur per solam praemotionem physicam sine infusione habitus, ageret ut instrumentum tantum, quod libertate caret ; proinde actus liber entitative supernaturalis sine habitu infuso impossibilis est. In corp. autem ejusdem articuli expresse dicitur : « Dona Spiritus sancti (de donis enim Spiritus sancti loquitur S. Thomas l. c.) sunt quidam habitus, quibus homo perficitur ad *prompte* obediendum Spiritui sancto », non vero ad *libere* exercendum actum supernaturalem.

Cunctae ejusmodi argumentationes in toto libro auctoris eodem vicio logico laborant : conclusiones inferunt ex praemissis S. Thomae, quod in praemissis non continetur. Cujus causa est, quod P. St. conatus est perficere rem impossibilem, sc. ostendere, quomodo juxta Angelicum Deus voluntatem moveat in omni operatione, quin eam moveat seu praemoveat.

Divus Thomas docet *solum* Deum, qui est causa voluntatis, qua principium extrinsecum posse movere voluntatem quoad exercitum actus. P. Stufler inde concludit a mortuis resuscitando theoriam Durandi Deum *solummodo eatenus* posse movere voluntatem, quatenus voluntatem causat cum inclinatione habituali ad bonum universale.

« Quod motus voluntarius ejus (hominis), inquit Aquinas I-II q. 9 a. 6, sit ab aliquo principio extrinseco, quod non est causa voluntatis, est impossibile. Voluntatis autem causa nihil aliud esse potest quam Deus. » — « Principium externum, colligit P. St. p. 185 ex effato hoc, quod est extra controversiam apud omnes, eatenus tantum in

motum naturalem vel voluntarium influere potest, quatenus principium internum motus vel operationis dat. Atqui principium internum motus voluntarii est ipsa potentia voluntatis, quae ex natura sua non habet inclinationem nisi ad bonum universale. Ergo neque Deus ut principium *externum alio modo* actum voluntatis causare potest, nisi quatenus voluntatem per creationem causat eique inclinationem in bonum universale indit. »

S. Doctor decernit I-II q. 9 a. 6 ad 3 : « Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum. » — « Ergo, dedit ex his verbis P. Stufler p. 188, Deus movet voluntatem praecise eo, quod eam creando causat. »

D. Thomas tradit C. G. III c. 88 : « Illud solum agens potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum hujus motus, quod est potentia ipsa voluntatis. Hoc autem est Deus, qui animam solus creat. » — « Ergo, infert P. St. p. 202, Deus non alio modo actum voluntatis causat, nisi quatenus virtutem volendi dat et in esse conservat. »

Angelicus docet (Comp. Theol. c. 129) : « Cum actus voluntatis sit inclinatio quaedam ab interiori ad exterius procedens et comparetur inclinationibus naturalibus, sicut inclinationes naturales rebus naturalibus solum insunt a causa suae naturae, ita actus voluntatis a solo Deo est, qui solus causa est naturae rationalis voluntatem habentis. » — Inde colligit P. St. p. 203 : « Ergo etiam motus voluntatis a principio externo causari non potest, nisi inquantum illud ipsam naturam rationalem voluntatem habentem causat, quod principium solus Deus est. Ergo Deus non potest alio modo causare actum voluntatis, nisi quatenus voluntatem causat et conservat. » Et sic porro. —

Omnia illa « ergo » nulla sunt *ergo*.

Studium istud auctoris imponendi S. Thomae ubique suam propriam opinionem absque ullo dubio minime proficuum esse veritati detegendae existimo neque hoc pacto ulla spes effulgere potest fore, ut tali methodo unquam genuina Doctoris Angelici doctrina determinetur. Licet quidem unicuique sequi sententiam quamlibet, quae ipsi placet vel vera videtur, caveat tamen oportet, ne vi aliorum verba ad suum sensum contorqueat, cum ejusmodi modus agendi etiam vix propriam opinionem commendet.